



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Consideratio octava pro die Dominica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

CONSIDERATIO VIII.
PRO DIE DOMINICA.

Infernus.

PUNCTUM I.

Quid sit Infernus.

Terra miseria & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Job. 10 22.

I. **C**ONsidera quid sit infernus. Infernus carcer est infelicissimus, refertissimus malis omnibus, uti omni bono inanissimus. Scito igitur, quòd, quemadmodum damnati sensibus omnibus corporis, ac animæ facultatibus offenderunt Deum, ità quoque sensibus omnibus, omnibusque facultatibus sint horribiliter puniendi. Torquebuntur oculi horrore tenebrofi
car-

carceris, fumo maleolente, sulphureo igne, aliorum damnatorum dæmonumque horrifico aspectu, quorum quilibet tam fœdâ deformitate erit formidabilis, ut S. Catharina Senensis, visâ tantùm obiter illorum imagine, ausa sit scribere in suis dialogis: nudis ambulaturam se pedibus super ignes, ad extremum usque iudicii diem potius, quàm rursùm spectaret tam horrendam tartareorum spirituum figuram. Aures porrò non audient quidquam, nisi gemitus, lamenta, suspiria, ejulatus, dentium stridores, fremitus, ululatus, & maledicta ac blasphemias. Quòd si canis ululans, citra aurium torturam audiri non possit, audire continuè dissonam illam atque feralem damnatorum lugentium musicam, quantum erit supplicium? Odo- ratus affligetur dirissimè fœtore loci, velut omnium sentinæ immunditiarum, graveolentiâ sulphuris, & illorummet fœtentissimorum corporum, quorum quodlibet, juxta S. Bonaventuram, supra terras protractum, totum,

D

quàm

quàm latè patet, orbem, pestiferâ lue infecturum esset. Non inferior erit pœna gustûs, qui draconum felle, veneno aspidum, tame, siâque, sinè refocillatione torquebitur. O! quàm forent ibi delicatæ promulsides, stabulorum nostrorum camerinæ, & spurcissimæ sordidarum cloacarum foricæ, neque tamen vel istas, ad aliquod sitis refrigerium, dabitur degustare. Quid autem de tactu dicam? qui si gravius, sensibus cæteris, offendit Deum, graviores etiam, cæteris omnibus, pœnas dabit. Recenseas licet plagas, verbera, nervorum extensiones, vulnera, dolores viscerum, spasmos, convulsiones, ustulationes. Aliæ plagæ, verbera alia, alii spasmi, flammæ alia nos manent, in peccato lethifero morituros. Omnes nostri dolores, his comparati, ficti sunt, ignes picti, non veri. Quæle erit spectaculum, Deum bonum! videre hominem nobilem, isto manè decumbentem lecto olorino, strato byssino, ab omnibus cultum, honoratum, adoratum, hoc ipso vespere mortuum, in lecto

lecto

lecto igneo deferri ad gehennam, à
dæmonibus conculcari, diris devoveri
à sociis, fremere, rabiosèque volutari,
quin potis sit, vel in alterum latus se
circùm agere. Quale tormentum, re-
cordari præteritarum voluptatum,
quæ tandem abiêre in hæc tormenta,
sine spe redemptionis! Ad hæc intel-
lectus, ignorantia excæcatus cogitare
non poterit, nisi quæ summè affligunt,
voluntas, in malo obstinata, plenâque
desperatione, averfabitur usque, quod
fugere non poterit; invidabit, sinè fa-
cultate nocendi, desiderabit, sinè spe
assequendi. En terminum, ad quem
ducit demum trames peccato-
rum. Quid tibi videtur? nun-
quid stultum est, eò,
citra curam ultrà
progredi,



PUNCTUM II.

Infernus æternùm durat.

Dolor meus perpetuus, & plaga desperabilis renuit curari. Jeremiæ 15. 18.

II. **C**ONsidera, totum istum pœnarum cumulum nihili instar fore, si finem aliquando esset habiturus. Quàm immensum autem pondus addit Æternitas! si in gehenna non nisi exiguus dentium dolor esset sustinendus, aut si nullum omnino esset supplicium, nisi ut uno semper latere decumberes in lecto, rosâ strato; ajo, æternum hunc decubitum majus fore supplicium, quàm centum millibus decies centenis annis, torqueri igne, finem tandem habituro. Et quis de hoc queat dubitare, si modo verborum sensum comprehendat? finiti enim ad infinitum nulla est proportio; malum per se leve, accedente æternitatis pondere, fit infinitum ac immensum: quid erit, si malum, intensivè quasi infinitum, sit etiam infinitum extensivè? Quòd si nec Comœdiam, spatio temporis nimis productam, spectare pos-

sus

Consideratio VIII.

77

sumus patienter, quomodo ignem to-
lerabimus clibani æternum arsiuri? O
æternitas! qui fieri potest, ut homines
te non intelligant, nec tui considera-
tione contremiscant? sic cinerum cum se-
mel faucibus tuis absorptus fuero,
tametsi lacrymis meis adæquavero
vastum orbis Oceanum, nec momen-
tum censebitur præteruisse pœnarum me-
arum? tametsi tot sæculorum millia de-
cies centena fuerint elapsa, quot sunt
atomi aëris, maris arenæ, guttæ aquæ,
frondes arborum, cæli sidera, in aditu
erit tormentorum meorum? Ergo, si
Deus hoc momento crearet univer-
sum ex solido ære fabrefactum, & sæ-
culis singulis in eo moveretur formicæ
unica, confecto, etiam per hunc imma-
nem ambitum, tam grandi itinere à
corpusculo tam pusillo, nulla extingue-
tur flammæ mearum, nec aqua
guttæ suppetet extinguendæ siti meæ?
O æternitas! æternitas! & non timent,
nec expavescunt? imò verò peccatis
onusti, tenuique filo fluxæ hujus vitæ
alligati, rident, luduntque in extimo

D 3

mat.

marginè voraginis illius immensæ? O prodigium, prodigiorum omnium maximum? ita credere, uti creditur, & ita vivere, uti vivitur.

PUNCTUM III.

Infernum commeruisti.

Nisi quia Dominus adjuvit me; paulò minus habitasset in Inferno anima mea. Psalm. 93. 17.

III. **C**ONsidera, à quot annis jam meritis sis sepeliri in hoc cli- bano ignis infernalis. Quot, quanti- que jam illic torquentur ob peccata longè tuis leviora; misericordia igitur Dei fuit, quòd non fueris consumptus. Alio- quin enim, si traditus fuisses peccatis tuis, ubi nunc hoc momento dum ista legis, in medio dæmonum, fremens atque ejulans, consumendus esses ab ignibus illis æternis. O! ut malè sit corpori meo (rabiosè tunc exclamaturus esses) cujus momentaneas delicias tormentis nunc tuo sempiternis! O fastus, opes, deliciae! quid profuistis mi- sero? ecce! quàm ob breve somnium veris nunc ignibus ardeo, ardebòque
in

in æternum ! Poteram , pœnitendo
pro peccatis , renunciando familiari-
tati mihi noxiæ , reddendo bona inju-
stè parata , illatam condonando injuri-
am , poteram subtrahere me his sup-
pliciis , hoc autem dum omisi facere,
cùm possem , nunc neque potero in
æternum , tametsi velim . O ! si daretur,
vel unicam horam mediam illius pre-
tiosi temporis , quod vanitatibus , amo-
ribus , immunditiis perdidisti , quantoli-
bet pretio mercari , quàm libenter re-
dimerem centum millibus annorum
doloriferæ hujus æternitatis , neque
tamen id quero . Hujusmodi questus
editurus nunc esses in medio flam-
marum illarum , neque tamen una
quam à Deo exaudiendos . Nun-
quam ampliùs visurus esses pulcher-
rimam faciem Creatoris tui , cujus
amore universus ardet paradisus ; ni-
hil profutura essent universa , cum fuso
sanguine , Christi tormenta . Nunc ve-
rò dum spatium moràmque prolon-
gat temporis , eccur putas id eum age-
re ? cur pergis peccare ? cur gulâ

D ↗

ac

ac ebrietate, lusu, ac lasciviâ dilapidas!
 ut pœnitentiam agas, ideo moram spa-
 ciumque concedit. Quòd si pœnitenti-
 am non egeritis, omnes similiter peribit-
 is, ita Deus ipse minatur per S. Lucam
 c. 13. dilata igitur solùm est sententia,
 non mutata. O pœnitentia! O infer-
 nus!

ORATIO.

Justissime Deus, quâ fieri potest ut æ-
 ternitatem mihi miniteris pœna-
 rum, neque tamen justitiæ tuæ metum
 extorquas à durissimo corde meo? an
 nondum igitur apprehendo, tamen si
 fornacem videam æternùm arsuram,
 Quantus peccati sis hostis, & quàm
 enorme sit delictum, te offendere, Do-
 minum universorum? quâ fieri potuit
 ut tanta insania nidularetur in corde
 meo, ut vivere auderem, vel momento
 duntaxat unico, tibi inimicus? neque
 momento tantùm, sed & mensibus,
 & annis integris perstiti in hoc mise-
 rabili statu, nihil interea memor veterum
 mearum deliciarum; & quamvis
 tot peccatorum gravatus pondere,
 somnum

somnum tamen capio quietissimum.
O insaniam omnium, quæ unquam
occupavere hominis animum, insanis-
simam! merebar dudum plecti, senten-
tiâ ad emendationem usque meam
tam diu dilatâ, merebar equidem, fa-
teor, sed tu, clementissime Deus, boni-
tate tua malitiam meam superâsti; agè
igitur, nè dedignare, diutius etiam suf-
ferre me. En vindictum me, & captivum
divinæ misericordiæ tuæ! qui me fu-
gitivum tanto labore quæxivisti, nè
repellas supplicem à pedibus tuis, ah?
nè rejicias animam, tam carô tibi
emptam. Largire fortitudinem, ut fu-
giam peccatum, quod ducit ad dam-
nationem; da gratiam, ut timeam in-
fernum, qui separat à te; dele sanguinè
tuo sententiam, quâ toties damnatus
sum ad infernum. Sic ego his omni-
bus liber, velut vivum bonitatis
tuæ trophæum, misericor-
dias tuas in æternum
cantabo, Amen.